DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE

VULNERIBUS

PUGNA IN NAVALI

APUD ALGERIUM PROXIME FACTA ACCEPTIS

COMPLECTENS.

AUCTORE ALEXANDRO DEWAR.

In expeditione in Algerium nuperrimè missa, in nave regia, Queen Charlotte anglicè dicta, quae Classis praefectum vehebat, fui Chirurgus. Vulnerati hujusce navis in pugnâ, et sanguineâ, et memoriâ digna, apud locum suprà dictum, hodie *Algiers* appellatum, factâ, plurimi erant; atque multa vulnerum maximi momenti exempla, tunc temporis meum sub conspectum venerunt.

Legibus Nostrae almae Matris, Doctoris gradum inter Medicinae ambiendum, dissertationem inauguralem in lucem edere, jussus, mihi in mentem venit, res maximi in his vulneribus tractandis in ordine ponere, tum ad Lectoris doctissimi delectationem, tum ad Medicinam facientium usum conferre posse. Hisce igitur consiliis motus, memet ad opus libentissime accingam.

Vulnerati in nave *Queen Charlotte* dicta erant triginta et unus. Horum vulnera alia et levia, alia autem gravissima erant. Quanquam enim omnes, donec in Angliam, sex post pugnam hebdomadis elapsis expositi erant, in nave detinebantur; nihilo minùs nemo nisi unus omne inter hocce tempus mortem subiit. Haec res, ex causa quae haud praecaveri potuit, et tempore quo omnia, exitus feliciores, ex injuriis morbisque aegroti complicatis, vulneribus exclusis, quam expectandum sit, promitte-

bant, eveniebat. Vulnera in homines aetate plerumque florentes, vigoreque gaudentes, hisce rebus illata, periculum ex actione nimia inflammatoria, nisi valide brevique subacta, capere videntur. Ad hanc causam et Haemorrhagiae et Gangraena, operationibus summis peractis, et fortassè morbi tum Tetanici, tum alii spasmodici vulnera saepiùs sectantes, me judice, haud raró adscribenda sunt. Hancce proclivitatem subigere vulneratis in tractandis, consilium et primum et praecipuum fuit; atque historiae sequentes laetis tam eventibus gaudentes, rationem ritè impigreque peractam, aliqua ex parte, nos voti compotes facere ni fallor, docent. Quidam Casuum qui infrà dicti sunt, quatenus Venaesectio, vulneribus magnis in cavitatibus illatis et tutò et feliciter exerceri potest, et quales eventus felices tractatio et arctè et gnavitèr peracta (rebus quanquam pessimè habentibus) reddere potest, ostendunt. Mentionem facere Regimen Anti-

phlogisticum eodem tempore, omni in parte et arctè et sedulò observatum esse, operae pretium est.

His rebus supra repetitis, memet ad narrandas quasdam historias, paucasque observationes, ex amputationibus tunc temporis peractis, orientes, accingam.

CASUS I.

Aug. 28.

J. F. J. Legatus, 24 annos natus. Quum horas paucas pugnaretur, vulnus parte in faciei laeva per assulam accepit; atque gena ejus ad digitum pollicem et semi lacerabatur. Sed remediis idoneis vulneri ritè adhibitis, suam stationem iterum statimque cepit. Brevi autem, vulnere altero gravissimo illato iterum deducebatur. Brachio et latere laevo

magna ferri assula, quae Musculi Pectoralis partem, mollesque lateris partes, usque ad Costam octavam, quatenusque ad scapulae Costam avehebat, ictus fuerat. Plexus vasorum nervorumque axillaris, humero in frustula proximè infrà cervicem suam innumera diffracto, rebus mollibus parte in humeri anteriore necnon sinu axillae posteriore penitùs perditis, lacerabatur. Lacertus dilaceratus frusto integumentorum angusto, parte Musculi Deltoidei illaesâ, tenebatur. Arteria axillaris divisa, ultra vulneris superficiem extendit, fluentumque sanguinis tenue effudit. Haec sine mora salva praestita fuit; sed sanguis simul ac vulnus acceptum esset et plenè et liberè emanavit. Aliquantum vini, pulsu valdè tenui et celeri, facieque pallidissima illicò adhibitum erat. Animus autem nunquam defecit. Periculi maximi sibi conscius, atque in extrema salutis spe, sine dubio conclamatum esse, dixit; meque affari, rebus ità sese habitis, ex corde voluit.

Eum fortasse posse mederi spem injeci; atque membrum quassatum exscindendum esse sine mora consentit. Pars Musculi Deltoidei supra dicta ex ossis cervice levabatur, duoque vasa parva divisa, sine mora tuta reddebantur. Ligamentum capsulare apertum erat, ossis caput, perscindendo deorsum artû, tunc temporis remotum, partesque molles in axilla, circiter digitum pollicem, supra plexûs dilacerati extremitatem divisae erant. Arteriâ axillari divisâ sanguis illico largiùs profluxit, nam pressura supra claviculam applicata, claviculâ cursu in arteriae anteà fractâ, praveque conjunctâ, vix ac ne vix quidem ad sanguinem cohibendum auxilium tulit. Arteria puncto temporis retenta, atque ex nervis comitantibus separata, per ligaturam tuta reddita fuit, fragmenta ossis, partesque musculorum asperae remotae fuerunt. Parva Deltoidei Musculi pars illaesa, tegendaeque cavitati glenoideae satis idonea, duabus ligaturis ad partes sustinendas adhi-

bitis relinquebatur. Magnum vulnus horrendum nudum relictum, atque emplastra adhaesiva, ad partes quantum fieri potuit, sustinendas, applicata fuerunt. Nox nihilominùs, anodyno largo adhibito, quietè agebatur. Sanguis e vulneris superficie largè exudabat; aegerque de partium rigiditate questus est. Pulsus 126 et mollis et tremulus. Paululum et vini et *Sago* anglicè assumptum fuit. Repetat. haust. anod. Applicetur aq. frigid. parti vulneratae.

—— 29.

Placidè dormivit, atque res sese meliùs hocce mane habere dicit. Pulsus 124 mollis; dejectio ex quo vulnus illatum erat nulla. Injiciat. enema simplex statim, contin^r haust. anod. et applicetur aqua frigida parti vulneratae.

—— 30.

Tres ex enemate dejectiones largae. Fascia sanguine imbuta hocce mane remota est.

Inter noctem bene dormiebat, paullo hilarior videtur; vulnus multo tolerabilius, pulsus 124 sed plenior, cutis calida, lingua alba, sitis; veluti in somni gremio fotus, nisi cum alloquatur, decumbit. Contin[t] omnia. Aq. Supertart. Potassae pro potu.

—— 31.

Vulneris involucra hoc mane remota. Pars pendula externè sana videtur, partes autem nudae exuviis obteguntur. Suturae quippe quae parùm prosunt remotae erant. Paululum jusculi bovini aeque ac Sago heri sibi assumpsit. Pulsu circiter 120. Cute naturali, lingua alba, siti. Bibat aquam Supertart. Potassae ad libit. Repet. alia.

Sept. 1.

Nocte quieta gavisus est: dejectiones nocte hesterna ex injectione duae: hodie aliquas ex vulnere exuvias removi: Arteria axillaris validè pulsare parte in vulneris su-

periore, atque inferiore dejectio purulenta apparebat. Pulsus 120; cutis frigidior; aliquantulum jusculi et pullina et ex carne ovina elixa confecti, tum heri, tum hodie assumpsit. Hilaris videtur atque sese multò melius sentit. Curetur vulnus unguento resinoso, postea admoveantur emplastra adhaesiva ut antea. Cont. potus et repet. haust. anod. vespere, si opus sit.

—— 2.

Noctem quietam iterum egit. Puris parte sub pendula emissio; crustæ vulneris superficiem adhuc velant. Arteria axillaris fortiter micat. Tussi frequenti hodiè, expectoratione copiosa, angitur. Pulsus 116 mollis, cutis tepida; jusculum pullinum saepè, tapiocam subindè assumit. Ex injectione dejectiones plenae. Rep. omnia, sorbeat mucilag. paux. subindè.

—— 3.

Granulationes multis in vulneris partibus, crustis positis, sese ostendunt. Sanè dormivit ; pulsus 104 mollis, haud multum tussis inter noctem, lingua nitida et humida. Repet. omnia.

—— 4.

Die post meridiem hesterna, calore cutis aucto, fuit inquietior ; tum aqua frigida cum aceto per spongiam saepe tergebatur ; sub vesperem quiete gaudebat, noctemque faustam quidem habebat. Pulsus mane 104. Ligatura una hodie decidit. Sorbillum saepè sibi assumpsit; idemque avidè edit. De gutture tenero queritur. Fricentur fauces externae linim. ammoniat. et tegantur panno laneo. Cont. omnia.

—— 5.

Noctem quietam iterum agebat; pulsus

hodiè 96. Effusio, ex vulnere, omnibus ferè crustis sepositis, et plena et fausta. Arteria minùs validè micare apparet; aegrotusque cibum liquidum haud rarò assumit. Cont. omnia.

—— 6.

Singultus inter noctem frequens. Crustae (parte minima acromii anterioris excepta) omnino ejiciuntur. Emissio et fausta et modica. Arteria, ligaturâ adhuc firmè adhaerente, minùs validè micare videtur. Paroxysmo febris, qui horam circiter sextam subsidebat, die hesterna pomeridiana, laborabat.

—— 7.

Tussis, expectoratione copiosa frequens quae miserrimum, vulnere sese feliciter gerente, ligaturâque adhuc firma manente, arteriaque minùs validè micante, plurimum angit. Pulsus 96. cutisque nonnihil tepida;

hocce mane dejectio una; appetitusque cibi mediocris est. Recip. mucilaginis gummi acaciae Arabicae ℥viii. tinct. opii. ʒi. sacch. ℥ss. m. Capiat semunciam subindè, tussi urgente. Repet. alia.

—— 8.

Nocte hesterna, materiam puri persimilem uncias circiter quatuor, dolore in parte abdominis nulla sentito, per anum dejecit. Tussis, expectoratione libera, adhuc angit. Pulsus nocte proximâ 108, hodie 104. Vulnus sese feliciter gerere adhuc videtur. Nulla, ex quo materiam purulentam nocte hesterna emisit, dejectio. Recip. pulv. rhei. gr. x. carbonat. magnes. ʒss. aquae. menth. pip. ℥i. fiat haustus, statim sumend. vespere si opus sit injiciat. enema. Repet. alia.

—— 9.

Aegroto die hesterna una materia purulenta abundans dejectio, atque hoc mane

cum minore quantitate altera. Vulnus sanescere, atque parte in superiore, ligatura adhuc adhaerente, se contrahere videtur. Pulsus 92, tussisque adhuc molesta est. Cont. omnia, habeat vin. rub. ℥iv. in die.

—— 10.

Aurora redeunte, dejectio sine materia purulenta plena ; tussis frequens. Ligatura mane sese dejecit, sudor per partem corporis superiorem saepè inter noctem manavit ; pulsu 96. Cont. medic.

—— 19.

Vulnus per ligulas adhaesivas multum contrahitur. Miserrimo complures materiâ purulentâ scatentes, nonnullae quidem eâdem ferè omnino carentes, dejectiones sunt. Materiam purulentam per anum dejicere, ex quo, Dysenteriâ duobus abhinc annis, apud Javam laborabat, solitus est. Cibum

appetit hilarisque videtur, atque in dies convalescit. Sub vesperem pulsus 100, mane autem 84. Cont. medic.

—— 24.

Quanquam nil doloris aegerrimus sentit, nihilominus ex nocte media inquietus est. Vulnus sanitate, stillatione ex eodem modica, eousque gaudet, multumque contrahitur. Vires plurimum augentur: pulsus 116, cutis arida. Omittat. vinum. Capiat misturae salinae ℥i secunda quaque hora.

—— 25.

Noctem feliciter agebat. Hocce autem mane circiter dimidium post horam octavam, inter toro residendum, Haemorrhagia e vulnere erupit. Rebus autem vulnerariis remotis, eadem impedita fuit. Paululum vini adhibito, spongiisque calidis parti applicatis, haemorrhagia, corde pleniùs movente, nulla redibat. Sanguinis profluvium circiter un-

cias duodecim, vel quatuordecim fuit. Pulsus, spatio unius horæ interposito circiter centum fuit.

—— 26.

Noctem quietè agebat; sub vesperem, enemate adhibito, dolor ardens, circiter digitum pollicem ex ano per tubum immittendum, ortus est. Placidè autem dormivit. Sed Haemorrhagia circiter horam quintam matutinam iterum impetum fecit. Dominus Griffiths qui me in arte chirurgica adjuvabat, aegroto tunc temporis adstabat; atque quum haemorrhagiam, pressurâ vel supra vel infra claviculam, adhibendâ, minimè coerceri posse reperiîsset, digitum suum per granulationes novas impulit, atque os vasis vulnerati prehendit, quo factum est ut Haemorrhagiam sub imperium teneret. Arteriam axillarem sanguinem emittere supra processum coracoideum, pro certo compertum est; atque eandem paululum

infra claviculam ligare illicò consilium cepi. Incisione, parte ex claviculæ inferiore secundum arteriam, facta ; scalpellum iter ad arteriam inter faciendum, ossis fragmentum, circiter dimidium pollicis digiti in longitudinem, atque partem ejusdem mensuræ circiter quartam in latitudinem rectà super arteriam positum, tetigit. Arteria caute dissecta, atque a nervis adjacentibus separata, incisione et angustissima et altissima, haud sine multo labore, ligata fuit. Haec res per specillum communem flexum, atque ligatura armatum, infra arteriam insinuandum, atque deindè per ligaturam tensam forcipe trahendam, specillo, ea via qua ingrediebatur, retracto, ligaturâ autem relicta, fiebat. Duo rami arteriales divisi atque salvi præstiti erant. Semihora, rebus infaustissimis, arteriâ axillari aperta, lectô pensili movente nave ultro citroque agitante, candelîsque accendentibus, inter operationem elapsa est. Miserrimus sanguinis circiter libram perdidit. Vultus

pulsu celerrimo et debili, voceque demissâ, pallidus et anxius fuit. Haustus tinct. opii magnus, vinique rubri pauxillum, adhibebatur. De siti urgente aeger queritur, et hora decima, potum ingestum evomuit. Pulsus, circiter horâ dimidia jamjam elapsâ, sudore ex facie emanante, atque sanguinis stillatione e vulnere recente minimâ, atque involucra ejus vix ac ne vix quidem tingente, fuit 144, debilissimus atque difficillime sentiendus. Habeat vini rubri pauxil subinde, sumat jusculum ad libitum.

2da P. M. dormivit. Pulsu 128 firmiore, voceque clariore, sitis urget, atque de vulneris dolore queritur. Contin.

6ta P. M. Pulsus 120 firmior; jusculum saepe sibi assumpsit. Vox naturalis, vultusque quanquam pallidissimus, hilaris videtur.

8va P. M. Pulsus 124. Habeat opii gr. ii. Contin. alia.

—— 27.

Noctem quietam, quanquam parum dormivit, agebat. Media nocte rigores leves; pulsus 112; humor subfuscus é parte vulneris recentis inferiore manans; granulationes, stillationê modica, pallidae et vitreae; pus, ex apertura versus cavitatem glenoideam bonum. Cont. vin. juscul. et haust. anod.

Hora 8va P. M. Pulsus 116, inter diem jusculum saepe assumpsit.

—— 28.

Pulsus hora sexta matutina 108. Majorem noctis partem sanè dormivit. Quum ei per dies duas nulla dejectio esset, enema mane praescriptum fuit. Sed tubus immissus, tantum dolorem, ut statim extractum erat, creavit. Unciae puris circiter septem nihilominùs pleno rivo, et postea foecum parva quantitas sequebantur. Olei Ricini communis semuncia adhibita nauseam et

vomitum excitavit. Paulo post rigor violentissimus, qui sextam circiter horae partem, pulsu interea celerrimo irregularique, duravit, invasit.

Hora meridiana, pulsus 124, cutis calor haud praeternaturalis, vultus, alis nasi, inspirationibus singulis, dilatatis, et pallidus et anxius est. Ab hoc tempore, rigoribus violentis calorem auctum excipientibus subinde laboravit. Stillatione e vulnere minimâ, atque ligatura arteriae adhaerente, haemorrhagia nunquam rediît. Vires gradatim defecêrunt. Delirium leve ei subinde erat, et sub vesperem, diebus octo ex ligatura facta tunc temporis elapsis, quietè animam efflavit.

DISSECTIO.

Pars vulneris pendula cuique parti, cavitate glenoidea excepta, firmè adhaesit. Media cartilaginis pars, superiore dimidio consumpto, absorpta fuit; atque sinus ad par-

tem cavitatis glenoideae posteriorem, infra supraspinatum extendit. Ligatura, ex arteria firmo coagulo circiter digiti pollicis dimidium supra partem ligatam completa, inter dissectionem decidit. Eodem fere spatio infra hanc partem, foramen rotundum ulcerosum, in tunicis arteriosis compertum erat. Viscera abdominalia, flexu Coli Sigmodei et Recto excepto, sana videbantur. Illud et contractione et condensatione laborabat, atque hoc et condensatum, et purpureo distinctum, repertum erat. Circiter digitum pollicem a Recto infimo duae aperturae parvae erant, quarum per aliam specillum secundum os coccygis transire potest; per aliam autem iter inter vesicam et rectum erat.

CASUS II.

Aug. 28.

Carolus Taylor, annos 26 natus, habitu corporis gracili. Globus scloppeticus sinistrum thoracis latus, circiter digitos pollices, e spina, tres, et rectà supra costam nonam quae frangitur, penetravit. Globus in corpore latet—respiratio frequens, tussisque urget; dolor in laevo epigastricae regionis latere sentitur. Fiat venaesectio ad ℥xxiv. Cap[t]. sulph. magnesiae ℥i. more solito. Diaeta parca.

—— 29.

Alvus plene purgata est. Dolor, tussi frequente, respiratione accelerata, vultu anxio et desperante, in hypochondrio sinistro sentitur. Repet. venaesect. ad ℥xxvi. aq. supertart. potass. pro potu.

—— 30.

Venaesectione multum sublevatur. Pulsus 90. Respiratio facilior, tussis frequens, alvus soluta. Cont. potus supertart. potassae.

Sept. 1.

Inter dejiciendum hoc mane, globus scloppetarius per anum transiit. Aeger, pulsu 90, cute frigidiore, et anxius et desperans est. Ex praelio paululum dormivit. Capiat. anod. h. s. Repetat. potus.

—— 6.

Pulsus 100. Respiratione facili, alvo solutâ, dolor in quodam abdominis puncto, nempè parte regionis epigastricae inferiore et laeva, profluvio e vulnere abundante, sentitur. Tussis urget. Capiat. mist. mucilag. pauxil. pro tussi. Repet. potus. et haustus.

—— 10.

Profluvium e vulnere largum. Respiratio facilis, tussisque minus urget; pulsus celer et mollis, aeger noctes inquietas, nisi quum anodyna auxilio suo venissent, agit; atque suae saluti saepissimè diffidit. Morosus, et moestus videtur, alvus astricta. Capiat olei Ricini ℥i. Contin. alia.

—— 13.

Portiuncula panni e vulnere hoc mane remota. Contin. medicament.

—— 14.

Hora sexta vespertina, dolor acutus in latere laevo abdominis, respiratione accelerata, pulsu 100, cuteque calida. Fiat venaesectio ad ℥xxxvi.

Hora prima A. M. Venaesectio aegroto parùm profuit. Dolore acuto, pulsu 120 parvo. Repet. venaesectio ad ℥xvi. Applicet. epispast. parti abdom. dolenti.

—— 15.

Dolor tolerabilior redditur, pulsus 124, mollis et parvus; cutis calida humidaque, profluvium e vulnere tenue et largum. Contin.

—— 16.

Pulsus 100 mollis, pars costae fractae posterior supra partem anteriorem ejus levatur; granulationes, profluvio magno, nullae. Ex hoc tempore, pulsus infra 110 raro fuit. Aeger cum tussi levi, tum dolore in latere epigastrii laevo, aeque ac sudoribus nocturnis subindè laborabat; vulnus fistulatum fit, atque portio costae fractae cariosa immobilis remansit, quum Nosocomium ad diem Octobris octavam mitteretur.

Cursum globi scloppetarii hoc in viro indagare, supervacuum esset. Nihilo mi-

nus tum pulmones, tum canalem intestinalem laesa esse, ni fallor vix dubitandum est. Sed cum emphysema penitùs abesset, cumque spirandi difficultas levissima sit, aliqui, suspensi teneri possent; emphysema autem, vulnera pulmones penetrantia minimè semper sequi, hic loci haud obliviscatur, oportet: rebus ità se habentibus, haud dubito, quin globus in colum descendens, iter fecisset.

CASUS III.

Aug. 28.

Samuel Norman, annos 35 natus. Corpore robusto; rectà infra axillam globo ferreo magno, latere thoracis in laevo, costis fractis, integumentis costae autem integris, ictus fuerat. Latere in laevo Echymosis et Emphysema magna sunt. Respiratio la-

boriosa. Fiat Venaesectio ad ℥xxxiv. Cap. Cath. applicet. fascia Thoraci.

—— 29.

Respiratio venaesectione multum sublevatur, sed adhuc laboriosa est. Emphysema tussi frequente minimè extendit. In lecto, corporis trunco paulum elevato, nam in ea positione facillime respirat, sustentatur. Pulsu 96. Fiat venaesectio ad ℥xvi. Aq. supert. potassae ad libitum. Vespere respiratio laboriosa. Repet. venaesect. ad ℥xxx.

—— 30.

Respiratio laboriosa, vultusque anxius; pulsu celeri, satisque valido, cute calida. Emphysema haud extendit. Repet. venaesectio ad uncias xx. Vespere venaesectione aeger multum sublevatur. Respiratio adhuc laborat: Repet. venaesectio ad uncias ℥xvi.

—— 31.

Respiratio multò facilior; pulsus 100 et mollis; tussis frequens; alvusque soluta est. Emphysema haud extendit. Cont. potus. applicet. fotus aceti lateri.

Sept. 6.

Respiratio, Emphysemate necnon Echymosi fugientibus, multo facilior manet. Pulsus 90 et mollis, cutisque temperiei naturalis, alvusque soluta. Cont. Potus et Fotus.

Ex hoc tempore curatio, echymosi et emphysemate tussique gradatim discedentibus, indiès promovit, et decimo Septembris septimo, omnibus ex malis solutus est.

CASUS IV.

Aug. 28.

THOMAS FREEMAN, annos 20 natus.

Globus sclopeticus abdomen entravit, tres circiter pollices supra processum anteriorem superiorem spinosum ilii ossis, et eodem fere spatio a processu sinistri ossis effugit. Vomitus frequens, nausea perpetua, pulsus 90. Fiat venaesectio ad uncias xx. Injiciatur enema. Diaeta quàm parca.

—— 29.

Dolor abdominis universi, vomitusque frequens; pulsu 90 et contracto, cute frigida. Nulla dejectio. Repet. venaesect. ad uncias xxviii. Injiciat. enema purgans statim, et applicet. fotus abdomini frequenter. Potus supertart. potassae.

—— 30.

Dejectiones heri plures; singultus subindè, dolore abdominis sublevato, et vomitu minùs frequente; pulsus 96 et parvus; cutis frigida. Repetant. enema et potus. Capiat haustum aetheris ad singultum levandum.

—— 31.

Vulnera aeque ac dolor abdominis, dejectionibus quatuor, singultuque minùs frequente, tolerabilia sunt. Cont. medic.

Sept. 1.

Singultus, dolore abdominis aucto, molestior, pulsus 110, parvus sed firmus. Repet. venaesectio ad uncias xxx.

—— 2.

Venaesectione multum sublevatur. Nihilo minùs de dolore circa umbilicum, nausea et vomitu subinde, nullo autem singultu, adhuc queritur. Nocte hesterna sudorem plenius emisit, pulsus 90 et parvus; cute frigidissima, dejectioneque una. Injiciat. enema. Repet. fotus, et capiat haust. effervescent. subindè.

—— 3.

Abdominis dolor multo levior, nihilo secius abdomen ipsum distenditur, pulsus 76

mollis; lingua albida, crustisque vulnerum separantibus, et nausea et vomitu remota. Capiat, sulph. mag. ℥vi. Si opus sit injiciat. Enema. Repet. fotus et potus. Vespere dejectiones duae; dolor abdominis augetur, atque abdomen ipsum adhuc tumet, et tensum est. Repet. venaesect. ad unc. xii.

—— 4.

Nil doloris hoc mane, abdomine nihilo secius et distento et turgido; pulsus 80 mollis; cute frigida, linguaque sorde leviter obducta; cibum edere voluit, sed prohibetur. Repet. enema et fotus.

—— 5.

Abdominis cum inflatio, tum tensio multum minuitur; dolore nisi ex vulneribus nullo; sane dormivit; pulsus 80. Repet. ut heri.

Die decimo sexto Septembris ei erat vomitus biliosus levis, aeque ac dejectiones

exiguae biliosae. Die autem 22 ^{do} calomelane dosibus modicis adhibito, dejectiones speciem naturalem ostendebant. Die 24to, ambo vulnera, induratione levi, quae gradatim effugit, latere in laevo manente, sanata erant; atque cum portu subiîmus, de nihilo, nisi debilitate levi, questus est.

An globus hoc in exemplo, abdominis cavitatem penetravit, dubitetur. Nam symptomata, vulnera hujusce cavitatis sequentia, nempe vel quorundam viscerum protrusio, vel rerum suarum e vulnere emissio, deerant. In vulneribus per globos scloppeticos abdominis parietes tantum penetrantibus, inflammatione impetum facta, cursum globi vel per duritiem, vel per ruborem integumentorum cursum ejus tegentium, indagare possumus. Haecce signa hoc in exemplo penitus deerant; autem viscera abdominalia, inflammatione, ratione medendi felicissimè remota, laborasse, satis superque constat.

CASUS V.

Aug. 28.

Georgius Thomson, annos 19, natus. Vulnus supra partem scapulae dextrae imam, infra spinam ossis, quod globo ferreo, vulgo *grape-shot* dicta, fieri videbatur, accepit. Res scapulam transversim, quam in frustula comminuit, transiit. Materies dura supra partem axillae posteriorem se objicere sentiebatur, quod incisione in eandem factâ, pars scapulae fractae repertum erat. Multa ossis fragmenta e vulnere remota fuerunt. Paucis diebus posthac, res dura, ex incisione in parte humeri posteriore facta, sentiebatur. Sub musculum deltoideum, acromionque indagari potuit; atque partem articuli humeralis tum posteriorem tum anteriorem obtegit. Fragmentum globi excavati, circiter uncias septem pendens, incisionibus duabus ad idem

vendum necesse existentibus, repertum erat: huc accedebat, quod partes scapulae plures, temporibus diversis, valetudine integra manente, e vulnere erant remotae. Vulnera ad corpora extranea removenda necessaria, minimâ partê, ex qua pars acromii inferior sentiri potuit, exceptâ, ad diem Octobris octavam, cum ad nosocomium mitteretur, omnino sanata fuerunt.

Haec historia, momenti tantùm est; propterea quòd, res extraneas magnas, in corpore, pro tempore, remanere posse, nullis de earum situ signis, simul apparentibus, ostendit.

OBSERVATIONES.

Quo tempore, post vulnera illata, amputatio, in rebus operatione sine mora indigentibus, peragenda esset, denuo in dubium

venit; atque disputationi plurimae ansam praebuit. Chirurgis omnibus, quibus et observandi copia summa, litemque componendi facultas est, operationem, donec suppuratio locum sibi ceperit, minimè trahendam esse, persuadetur; quippe quae res, ut antea creditum erat, operationis discrimen minimè adimat. Experientia belli novissimi, quibus peracta est amputatio vel primaria, vel secundaria, plures ex his, quam ex illis, caeteris paribus, mortem subiisse, satis superque demonstrat. Hocce pro certo, iis, etiam qui tempestatem amputationi idoneam nunquam nacti sunt, et qui, operatione primaria peracta, ex faucibus mortis eripi potuissent, enumerari neglectis, compertum erit. Lis sub judice nunc temporis est, an amputatione necessaria, ad operationem sine mora confugiendum sit; an vel diutiùs vel breviùs remorandum, donec motus nervosus generalis, qui injurias amputationi idoneas, sequi dicitur, sedetur; quippe quae res, ope-

rationis discrimen, rebus ità sese habentibus, auget. Meo quidem judicio, ubicunque operatio necessaria habeatur, quo citius membrum quassatum remotum erit, eo melius aegroto eveniet; atque hic motus nervosus, si unquam sese ostenderet, me ad operationem citiùs cogeret. Hic motus ex partium laesarum conditione, originem haud dubie ducit; atque causâ corpori inhaerente, effectum cessurum, vix ac ne vix quidem sperare licet. Dominus Guthrie, pagina 53 libri ejus ita scribit: "There is in general a certain period differing in different persons as to time before these symptoms of commotion come on, and they are then severe in a greater or less degree." Si vulneris ictus his signis ansam praeberent, e vestigio sese ostenderent oportet: sed quodam tempore inter injuriam acceptam, motûsque praesentiam interveniente, eadem irritationi partium laesarum haud dubie adscribere licet.

Hic, vero, motus periculosus, mea experientia modica monente, raro quidem impetum facit. Nihil hic loci, illi verisimile in quibus ut amputatio peracta sit, oportebat, historiâ prima exceptâ, conspexi: atque nomen *Motûs Nervosi* rebus hujusce viri, sensu quo ferè applicatur, haud reddere possum. Quanquam corpus et damnum ex jactura sanguinis, angoremque ex vulnere tulit; nihilominùs animus et placidus et fixus fuit. Res operationem sequentes felicissimae erant; sed nulli, res infeliciores inter operandum vix ac ne vix quidem contigit. Inter colloquendum de operatione cum eo, me, eandem summae sublevationi sibi venire, certiorem fecit, atque verbis suis emphaticis dixit: "I was in Elysium immediately "after it was off." Rebus ita sese habentibus, ii morae operandi faventes, eandem statim perficere suadent; quippe quae res aegroto, etiam si animam daturus sit, magno levamini sit. Unde venit Solatium? Procul

dubio ex causa Symptomatum remota. Sin autem amputatio hisce in conditionibus, motû etiam summum fastigium usurpato, tantum sublevaminis e vestigio fert; atque aditum ad sanitatem unicum aperit, sine dubio, injuriis levioribus, motuque, ut sperandum sit, leviori, res hisce contrarias haud inducere potest. Quum tempus quoddam interveniat, priusquam hicce motus horrendus impetum faciat, prohiberene adventum ejus, causâ ablatâ, nostrum est? Has ob causas, meo quidem judicio, amputationem, ubicunque necessaria habeatur, sine mora facere regula generalis sit oportet. Nihilo minus res existere possint, quae nos aliter agere inducant; sed legi generali anteà dictae minimè repugnant. Nec spe aegroto benefaciendi, operationem pro tempore remorari, oportet; quanquam nil mali, brevi remorando, unquam conspexi. Inter praeliandum, ut ad eos nuperrimè vulneratos, ope e vestigio indigentes, sublevandos parati simus volo.

Si inter operandum, vulneratus sanguinem effundens deduceretur, opus etiam infectum relinquatur oportet; atque tali viro auxilium, nam aliter animam daret, ferendum est. In exemplis, priori suprà memoriae prodito verisimilibus, omnes res statim relinquere, et operationem peragere decet. Injuria autem leviore, atque amputatione necessaria habita, nihilominùs donec pugna facta esset, moram operandi facerem; atque historiae amputationum a me hoc tempore peractarum, nil periculi postea expectandum esse, satis superque demonstrant. Anteaquam pugnabatur, consilium, moram operationi faciendi, nisi cum membrum quassatum remotum, aegrum ex faucibus mortis eriperet, cepi. Diuturnitas hujus pugnae, et praeter pugnarum navalium naturam, et praeter spem tanta fuit, ut horis sex jam jam elapsis, atque exitu ejusdem in conspectum nunquam veniente, ad operandum memet accinxi.—Amputationes septem; vulnere, uno in exemplo,

novissimè illato; quatuor autem intra horas tres et sex; sed in duobus ultra octodecim post vulnera accepta peractae erant. Amputatio, duobus his viris procul dubio necesse erat; sed operationem subire citiùs minimè consentirent. Omnibus voti juxtà compotes eramus; postremus tamen cui femur excisum erat, febre symptomatica, prae caeteris, majore laborabat. Sed membrum celeriter sanatum erat.

Ex historiis suprà traditis, magnum periculum, operatione pro brevì remoranda, nullo symptomate infausto interea prohibente, et operatione, priusquam vel inflammatio, vel reactio generalis impetum fecerit, peractâ, haud timendum esse constat; atque quum in pugnis navalibus res cito plerumque ad finem perducitur, hanc ob causam, operationem, nisi mora vitam perderet, ad pugnae finem deferrem. Sed moram ad membrum quassatum removendum, nisi his in conditio-

nibus, pro puncto temporis, nunquam sua derem. Nam per omne hoc tempus, aegrotus plurimum doloris, cui causâ removendâ, pro parte sublevare nostrûm est, patitur.

FINIS.

Edinburgi:
Excudebat C. Stewart.